







*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

*[Handwritten numbers and characters on the right edge of the page]*



1679.

1. Alberti, Valentini : De necessario dependente
2. Alberti, Val : De divisione majestatis in regalia  
majora et minora.
3. Carpzovius, Augustus Benedictus : De confessione  
legati.
4. Carpzovius, Augustus Benedictus : De exemptione
5. Carpzovius, Augustus Benedictus : De jure braxandri
6. Christ, Joh Alexand : De renovatione investiturae
7. Christ, Johann Alexand : De adimatione.
8. Francus, Nicolaus Bartholomaeus : De peregrinatione
9. Aglius, Andreas : De jure vagabundorum.
10. Aglius, Anders : De jure absentium
11. Pachelbel a Gehag, Gabriel : H [I.] Emidicus posthume  
jura Decorum.

1679.

12. Rechenberg, Adamus: De Marco Livio Druso, Int. pleb.

13. Rechenberg, Adamus: De Thala, Chuscorum rege ex Tacit.

Ann. XI. c. 16. 17.

14. Rechenberg, Adamus: De moderatione iudicii circa  
controversias status publici.

15. Rivinus, Quintus Septimius: De favore juris  
circa bona dia absentium 2 Sent.

16. Romanus, Wilhelm: De corpore delicti in crimi-  
nibus facti permanentis potestatis ad effectum  
confirmationis considerato.

17. Schmidt, Johann: De obligatione legum civilium.

18. Schwendendorferus, Bartholomaeus Terhardt: De  
renunciatione fori privilegii.

19. Schwendendorferus, Bartholomaeus Terhardt: De jure  
circa pueros.

1679.

20. Tellerus, Romanus : De confusione obligationum.

21. Tellerus, Romanus : De oneribus feudi.

22<sup>a</sup> et Thomarius, Christianus : De vagabundo seu eo, qui

est sine domicilio . . . 2 exempl. An 1731 ? 1739.

23. Zierig, Theodorus Berabertus : De gratitudine

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]*





1679, 23

25

I. N. D.

DISSERTATIONEM MORALEM,

De,

GRATITUDINE

Indultu

Spectatiss. Philosoph. Lips. Collegii

In illâ ipsâ Almâ Academiâ

d. XXII. Februarii Anno M DC LXXIX.

H. L. C.

publicè defendendam suscepit

M. THEODORUS BERNHARDUS Zieritz/

Cüstrino-Neo-Marchicus,

Respondente

CHRISTIANO Schmeer/Fürstenwaldensi,

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

1679



V I R O

Reverendo atqve Doctissimo Clarissimo

DN. CHRISTIANO Schmer /

Pastori in Marggraffpießte / &c. Fidelissimo  
Parenti suo admodum dilecto.

Hoc specimen offert

In perpetuæ gratitudinis *πικρήσιον*

CHRISTIAN Schmer / Phil.  
& S. S. Th. Stud.



I. N. D.

## EXORDIUM.

**Q**Vanta laude dignæ sint *virtutes*, quæ *Ethica* coruscat, vix dici satis potest: Adest hic *fortitudo*, quæ in adeundis periculis se exercet, adest *temperantia*, in corporis voluptatibus gustu tactuque perceptibilibus cautissime procedens, adest *Liberalitas*, quæ egeno succurrere discit, adest *Modestia*, quæ honorari vult, adest *Mansuetudo*, quæ moderatè irascitur. Cæteras virtutes, quæ & laudandæ sunt, & omnem laudem superant, silentii peplo involvo. Inter has autem non ultimum locum obtinet GRATITUDO, *Gratitudo*, inquam, quæ, iudice Camerario part. III. hor. succis. ex veritate ex justitiâ, nobilissimo virtutum *PARI*, tanquam generosissimâ propagine egregia oritur Soboles: quæ, ut pergit, est adulta & propagatrix & nutrix omnium virtutum. Cui asserto non adscribere detrectat Cicero in serm. pro Plancio: Cum omnibus me virtutibus affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim quàm me & gratum esse & gratum videri: Gratitudo enim est virtus non solum maxima, sed etiam Mater omnium virtutum reliquarum. Quid est Pietas, nisi voluntas Grata in Parentes? quid sunt boni Cives, qui bello, qui domi de patriâ benè merentur, nisi qui patriæ beneficia meminerunt? quæ potest esse jucunditas vita, sublatâ gra-

titudine? quivis est nostrum liberaliter educatus, cui non Educato-  
res, cui non Magistri sui, cui non locus ille mutus, ubi ille al-  
tus aut doctus est, cum gratâ recordatione in mente versetur?  
Cujus opes tanta esse possunt, aut unquam fuerunt, quæ sine multorum  
amicorum officiis stare possint? Respondet huic Mals. in  
oratione quâdam sic exclamans: Fingite, Auditores,  
tollite hanc virtutem è medio, decus obsolescet Gloriæ, honoris Lu-  
men extinguetur, Gratia peribit & benignitas, cessabunt præmia,  
beneficia nulla erunt, nulla merita audientur, ac tandem vincu-  
lum humanæ societatis, quod Reverendæ Gratiæ nunquam satis  
laudandum studium nexuerat, sceleratè ac nefariè absolvetur.  
Et huc usque etiam ille. Multum vero esset, si in his  
laudibus absolveretur laudatissima Gratitude, accedit &  
illud dictum: Gratiarum actio est ad plus dandum  
invitatio. *χάρις χάριον ἐστὶν ἢ χάρις αἰ,* inquit Sophocles  
in Ajace Mastigophoro. Et notum est illud Anaxagoræ mori-  
turi ad Periclem dictum: Qui lucerna egent, oleum infundunt.  
vid. Laërt. lib. 2. c. 3. Pindarus lib. 2. Pythiorum inquit:  
Ixionem rotæ alligatum hæc mortalibus accinere:  
Benè meritis Gratia est referenda, vid. omnino Senec. epist.  
XXIIX. ad Lucillum, qui id pluribus deducit. In  
gratitudine nihil est pejus: est enim Mater omnium vitiorum. Cic.  
ad Attic. l. 8. *Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum dixeris,*  
ait Aufonius ex Menandro, ingrato homine terra nihil pe-  
jus creat. Plaut. in Persâ Act. 5. scena. I. Improbus est  
homo, qui beneficium scit sumere, & nescit reddere, exclamat  
idem in Bachid. Act. 3. scen. I. Nimirum præstat impen-  
diosum te quàm ingratum dicier, illum laudabunt Boni, hunc etiam  
culpabunt mali. Hinc Seneca lib. 1. de benef. Erunt  
homicidæ, Tyranni, fures, raptores, proditores, infra ista omnia in-  
gratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo  
vix ullum magnum facinus accrevit. Confer. Cœl. Rho-  
dig.

dig. l. 7. c. 18. & Adami Ronzen politic. l. III. c. IIX.  
Veteres Græci id egregiè delineabant, dum pingebant lu-  
pum, quem lactabat ovis, hoc epigrammate:

*Aгна lupum pasco propriis in vita mamillis*

*Pastoris fatui sed jubet imperium*

*Nutritus per me rursus scio sæviet in Me*

*Vertere naturam gratia nulla potest.* Vide Erasmi. in adag.  
Cent. I. proverb. XXCVI. Ast quàm detestanda &  
ingrata est *Ingratitudo*, tam accepta & grata est GRA-  
TITUDO. Cujus svavitas meam tenuitatem al-  
lexit, ut pro virili eam jam L. B. sisterem, non qui-  
dem prolixè: est enim ingrata prolixitas, (hinc multa  
vel saltem inspersi vel paucis tetigi) nequè usq; adeo,  
ut timeo, accuratè: est enim primus meorum Acade-  
micorum laborum fœtus, interim tamen, ut spero,  
fatis dilucidè atq; clarè. Absolvetur enim integra  
disputatio quatuor sectionibus, prima sectio  
proponet definitionem Gratiitudinis eamq; in  
IX. §. examinabit. Secunda sistet Gratiitu-  
dinis modum, in V. §. Tertia objectum, in  
VI. §. quarta ejus extrema tum in excessu tum  
in defectu, in §. III. Sit itaq; IN NOMINE DEI!

## SECTIO PRIMA.

Quæ Proponit definitionem Gratiitudinis  
eamq; examinat.

### §. I.

GRATITUDO à variis variè definitur. Johan. Jonstonius D. Ura-  
tislav. in Enchiridio Ethico p. 65. definit: Gratiitudo est varia-  
rum gratiarum bene de se meritis pro beneficiis ex animo actio

A 3

&

& redditio Spenglerus: Gratitude est virtus moralis, quâ erga benefactores gratos nos exhibemus. Itterus: Est virtus moralis, quâ beneficium acceptum agnoscimus, gratosque benefactoribus nos declaramus. Alii: Est virtus, qua præstita nobis beneficia agnoscit, meminit, prædicat & pro virili rependit. Wendelinus in Eth. ex Sculteto eam definit per Justitiam, quâ accepta beneficia memoriae inscribimus, & remunerare studemus. Verum quancquam verum sit, quod omnino ad justitiam (imprimis *δίαμετρικὴν* seu distributivam, pertineat: Benè ne scribit Jonston. Ench. Eth. p. LXIII. seq. *Justitia distributiva pro ratione objectorum suorum in multas virtutes dividitur. Benè meritis debetur gratitudo, superioribus observantia, indigentibus liberalitas.* Hinc pro ratione beneficiorum etiã rependimus Gratias, hoc modo, ut illi, qui plura nobis exhibuit, quã alter, plurem gratiam pro altero exhibeamus. Sed cum aliud tamen sit, gratitudinem pertinere ad Justitiam, aliud Gratitude de finiri per Justitiam, definiemus eam breviter, *Gratitude est virtus moralis benefacta quocunq; modo recompensans.*

§. II.

Methodi observandæ causa Gratitude tanquam definitum juxta definitionem verbalem & realem examinabimus.

§. III.

Definitio verbalis absolvitur (1) Etymologiã (2) Homonymia (3) Synonymiã.

§. IV.

Quod concernit Etymologiam, e quidem diffitendum non est, quod Jul. Cæs. Scaliger Exerc. CCCXVII. sect. 2. vocem Gratitude planè explodat: sic enim ipsius verba sonant: Gratitude vox barbara est, nec necessaria, sed omittenda, verum Resp. (1) ille acutus aliàs VIR hoc quidem dicit, sed non probat (2) præsupponit falsam hypothesin, ac si planè homines non studerent *Gratitude*: Sic enim pergit: *Non enim reperitur ipsa res in animis mortalium* (3) admittit vocabulum Ingratitude, cur ergò explodit vocem Gratitude (4) ipsi oppo- no omnes Ethicistas (quos ego quidem legi) qui vel ex instituto per tractant gratitudinem vel ejus saltem mentionem faciunt, ut Dn. Jacob. Martini, Wendelinum, Cellarium, Spenglerum, Weissium, Dürrium, Liebenthal, Strateman. Hornejum, Jonstonium, Itterum, M. Christo- phorum

phorum Prætorium in meletem. Eth. aliosve. Missa itaque voce ipsa in pace, videmus ejus ἔτυμον. Christian. Becman. in manud. ad Latin. ling. p. 512. Gratiam s. gratitudinem (habentur enim hodiè pro Synonymis) dicere vult quasi Charatiam. C. n. & G. scribit. I. c. sunt χάρις, χάρισμα, & coaluit postea Vox à χάρις, quæ ἀλλότῳ pergit, si ferenda, gratia aut gratum esse descendit ab Hebræo קָרַח i. e. gratum habuit, acceptavit, dignatus est Gratia. קָרַח benevolentia. gratia, studium. Tandem antepone, sunt adhuc ipsius verba, augmentum, & habebis quod dixi. Nos relinquimus Bono VIRO suam sententiam, quam nec ipse venditat pro apodicticâ. B. verò Dn. Spenglerus Gratitudinem derivat à Grates, & videtur etiam, quod rectè: denotat enim Gratitudo gratiam ejus, qui gratus est, vicem reddendo Benefactori vel saltem aliquid charum ipsi præstando pro bonis antea acceptis, vide omninò hîc Ciceron. lib. II. de invention. hîc enim pluribus id deducit.

§. V.

Vox Gratitudinis ratione subjectorum, quibus attribuitur, sumitur imprimis bifariam, (1) improprie, dum adscribitur (a) Terræ fertili, de quò Cic. l. 2. de offic. An non imitari debemus agros fertiles, qui grati sunt, multoque plus afferunt, quam acceperunt. (β) Bestiis ut v. g. Ciconiæ, quæ non tantum iis, apud quos nidulatur, quotannis ἐνδίκιον solvit, sed etiam parentes senio confectos alit, & volandi impotentes humeris gestat, cujus Gratitudinis meminit Aristophan. in avibus: Nobis avibus Lex est

Pervetusta in Ciconiarum tabulis,  
 Ut simul atque Parens educarit,  
 & volare docuerit pullos suos,  
 Pulli vicissim Patrem nutriant.

Cui addi potest & id, quod Camerar. part. I. hor. succif. c. 21. recenset de accipitre, alite rapacissimo, eum scilicet rigenti hyeme calidioris temperamenti passerulum ungvibus implicitum noctu sibi pectori solitum admovere, eoque se à frigore tueri, donec manè beneficii memor eum cum pace dimittat. De aliis animalibus eandem gratitudinem (si modò fides Autoribus est habenda) recensent Gellius lib. 5. cap. 14. nec non Fulgosus lib. 5. c. 2. item. J. C. Scaliger exercit. 102. Verum, ut dixi, hæc gratitudo est valde impropria: nam (1) brutis non compe-

competunt voluntas & intellectus virtutum subjecta, quibus v. non  
competunt facultates, illis etiam non competit Virtus specificè talis,  
sed brutis &c. E. (2) tamen nihilominus disting. est inter virtutis habitum  
verum ex *αγαθῶν* liberè proficiscentem, & inter assvefactionem  
quandam metu poenæ vel aliquâ phantasiæ bonitate & præstantia  
susceptam, illo sunt destituti, hæc gaudent. Consule discurs. Sum-  
mè Rev. Dn. D. Alberti super Physicam, huicqve adijunge Francisc.  
Valles. de sacrâ Philosophi p.m. 322 (2) Gratitude etiam sumitur pro-  
priè pro Gratitude, quam homines solent exhibere DEO à quo  
omnia bona veniunt, Patriæ, Parentibus, Præceptoribus Magistratibus  
& quibusvis aliis. Vid. sect. III. hujus disp.

§. VI.

Synonyma Gratitude sunt vel Latina: ut Gratia, Gratiarum  
actio, vel Germanica, Dank / Dankagung / vel Græca, *ευχαριστία*,  
*αὐθιδοσία*, vid. Lexicograph & imprimis Matthiæ Martini Lexicon.  
Philolog. qui hîc valdè prolixus est, ut & Cœlium Rhodigin. Lib. 13.  
Antiq. Lectio. c. 30. sub finem:

§. VII.

Hoc de definitione verbali. Succedit definitio realis quæ absol-  
vitur Genere & Differentia.

§. IIX.

Genus est duplex, vel remotum vel proximum. Remotum  
hoc loco est virtus: argumentor enim, quicquid est habitus animi,  
quo homo efficitur bonus, id est virtus, At Gratitude &c. E. Ge-  
nus proximum est virtus moralis: argumentor enim iterum: quic-  
quid est habitus *αγαθῶν* voluntarius & electivus observans  
mediocritatem ne vel peccet in excessu vel in defectu, id est virtus  
moralis, At Grat. E. Inquis: Gratitude non videtur admittere exces-  
sum, quia nemo potest esse nimis Gratus Resp. (1) sic nec fortitudo, nec  
temperantia, nec liberalitas admitteret excessum, quia nemo potest esse  
nimis fortis, nimis temperans, nimis liberalis. (2) Distingvendum inter  
gratitude substantiam & circumstantiam, ille excessus non est quæ-  
rendus in ipsâ gratitude, sed in eius Circumstantiis, quod infra redibit.  
Lege interim Dn. Itteri Synops. Eth. p. 241. seqq.

§. IX.

Differentiam absolvunt cætera Verba: *Benefacta quocunq;  
modo*



*modo recompensans.* Sic enim manifestò distingvitur Gratitude ab aliis virtutibus. Distingvitur (1) à fortitudine, quæ mediocriter se gerit circa metum & fiduciam (2) à temperantia, quæ mediocriter se gerit circa gustus & tactus (3) à Liberalitate, quæ modum observat in dandis & accipiendis. Idem iudicium esto de cæteris.

## SECTIO SECUNDA.

### Sistens modum Gritudinis varium.

#### §. I.

**A**dduxi in antea adductâ differentia benefactorum recompensationem, propter bonam itaqve connexionem varios modos, quibus exercetur Gratitude, exponam.

#### §. II.

*Primus* instituendi recompensationem modus est, cum animo exprimimus benefacta, id quod fit, dum eorum memoriam conservamus. Qvi modus ferme omnes præcellit: Ut enim à mente cæteræ quoqve virtutes primariò dependent; sic & Gratitude formaliter incipit in animo. Hinc bene Seneca lib. 2. de benef. Gratus quoqve potest esse homo animo. Et iterum l. 4. de benef. c. 21. Sæpè qvi gratiam retulit, ingratus est, & qvi non retulit, gratus est: Nam ut omnium aliarum virtutum; ita hujus ad animum tota redit æstimatio. Et iterum, Gratus dicitur, qvi aliquid pro eo, quod acceperat, reddit, gratus est, qvi bono animo accepit beneficium. Ille enim etiam est artifex, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt, & ille non minus canendi peritus, cujus vocem exaudiri fremitus obstrepentium non finit. Ex quâ causa procul dubio factum est, ut non nulli Ethicistæ ponant hoc dogma: Qvi opere gratus esse non potest, animum saltem habeat gratitudini studentem. In quod dogma nervosè commentatur B. Spenglerus, scribens: Animus, qvi beneficiis maectatus est, nihil prius habet, nisi ut quam primum nomina expungat sua, voluntatem suam non diu patitur latere, sed citissimè eam aperit his & similibus verbis: Nunquã Tibi gratiam referre poterò, illud certè non desinam, ubiqve confiteri, me non posse referre. Hactenus Spengler. Confer M. Christoph. Prætor. Met. Eth. p. m. 326. & alios plures.

B

#### §. III.

§. III.

Dum vero ista studendi recompensatio in animo latet, habet duos quasi nuntios. (a) Dum *verbis* incipimus benefacta deprædicare. Gratitude enim se habet ac cæteræ Virtutes, ut enim illæ in mente quidem nascuntur, sed non in mente latent otiosè, ità etiam Gratitude in mente nata exerit se in verbis. In verbis, non solum, dum Benefactor & Patronus est præsens (quanquam hic cautè sit procedendum ne laus degeneret in adulationem) sed etiam dum est absens erga alios. (b) Dum in scriptis benefacta in nos collata deprædicamus. Qui modus sanè est laudatissimus: Dum enim scripta durant, durat Laus nostri Patroni. Fit vero ille (modus) duplici viâ vel quando ex professo in integris libris fautorum virtutes describimus, vel quando scripta nostra iisdem in perpetuæ Gritudinis monumentum dedicamus.

§. IV.

Atque hæc de primo modo ejusquæ nuntiis. *Secundus modus est, quando factis referimus gratiam*, id quod fit partim officiis, partim donis, officiis, si benefactori nostro nil denegamus, sed quicquid à nobis exoptulat, honestè pro virili concedimus, donis, si beneficia exhibita jam hoc jam alio munere redhostimus. Inquis: E. ne gratitude semper in retributione actuali consistet? Dantur sanè quàm plurimi, quibus Paupertas semper adhæret, sed Respond. duo sunt Gratorum Genera, (1) qui aliquid pro eo, quod acceperunt, actu ipso & realiter dant (2) qui bono animo acceperunt beneficiû, nihil magis in votis habentes, quàm si possent reddere, licet omnibus rebus sint destituti. De his alterius generis sufficit, si saltem (1) officiis, quibus præstandis sufficientes sunt, beneficia redhostiant (2) animum conferent gratitudini studentem, vid. §. 2. hujus section. Aliter vero se res habet cum ditiotibus: illi enim obligantur ad actuale redhostimentum. Et rectè inquit Cicero lib. 1. de offic. sicuti non tantum eadem mensurâ reddendum quod acceperis sed etiam majore si possis; ità Gritudinis est plurâ, quæ in nos collata sunt, rependere. Quod monebant etiam Veteres, quando unam Gratiarum averfam, sed cæteras nos adspicientes fingeant, vid. Comitem Natalem l. 4. Myth. c. 15. quam ad picturam & illud Chilonis videtur convenire: Beneficii falsi oblivisci oportet, accepti meminisse videatur. Laërti9 l. 1. c. 15. sed

Sed hic non immeritò quærimus: An citò gratitudo sit insinuanda, an paululum ferius? Et sanè prius usq̄ve adeò non videtur, quia Grati-  
tudo habet suos gradus descendentes, ut jam audivimus. Interim tamen  
omninò rectè distinguunt Dn. Itterus in Synops. p. 146. & Clarisf. Dn.  
Joh. Weissius, Professor Giessensis, in libello Ethico p. 223. inter affe-  
ctum & effectum, applicantes hoc modo: protinus ac sine Morâ gra-  
ti esse debemus affectu & desiderio recompensandi non verò effectu  
& restatim ipsâ. Interim tamen si etiam Posteriori sententiæ subscripse-  
ris, meo quidem iudicio non errabis: sic enim fervorem & æstum  
gratias agendi manifestas. Cave saltem, ne facias vel ex superbiâ vel  
aliis malè intellectis circumstantiis.

§. V.

Adducam jam generalia quædam exempla, illorum, qui Grati-  
tudinis præ cæteris fuerunt studiosi. Inter illos eminent Cyrus major: Dum  
enim in S. Jesaiæ propheziâ ante 210 annos editâ nomen suum disertè  
positum inveniebat, edicto publico Judæos in patriam demisit, templum  
quæ restaurari jussit, vid. Esdr. lib. I. c. I. & Joseph. libr. II. antiqv. c. I.  
c. 1. Sic Alexander Macedo cum Hierosolymis è vaticinio Danielis  
c. 8. didicisset, multò antè prædictum, fore, ut Rex Græcorum Persa-  
rum opes everteret, maximoperè lætatus, Jaddum & reliquos sacerdo-  
tes amplissimis donavit muneribus, civitati permisit *αὐτονομία*,  
& tributum in septem annos remisit. Joseph. I. c. Specialia exempla  
illorum qui vel DEO vel Patriæ vel Parentibus vel Præceptoribus se  
gratos declararunt, jam exhibebimus sect. 3. lege interim Dn. Itteri  
Synops. Ethicam p. 236. seqq. & quem præponere debuissim, *Summum  
Theologum B. Dn. D. Botsaccum* in moralibus Gedanensibus.

## SECTIO TERTIA.

### Proponens objecta Gratiitudinis.

§. I.

**O**bjecta Gratiitudinis sunt varia. Vel enim gratitudinem exhibe-  
mus DEO, vel Parentibus, vel Patriæ, vel Præceptoribus vel qui-  
buscunq̄ve aliis fautoribus.

§. II.

Omninò rectè ordimur à DEO: Sicut enim ipsius Beneficia  
sunt planè immensa & innumerabilia, sic jure & pro merito suo à no-  
bis

bis poscit gratias. Consideremus enim beneficium creationis & sanè largissima gratias agendi nobis dabitur causa, consideremus beneficium conservationis, & nō deerit materia gratitudinis, considerem⁹ benignissimū opus redemptionis, & amplissimas inveniēmus gratitudinis exhibendæ rationes, spectemus sanctificationem, & in æternum non erimus pares gratiis agendis. Quæ omnia tam clara sunt, ut magis verè quā cordatè Franciscus Piccol. Professor quondam Patavinus & Papista vi veritatis coactus erumpat in hæc verba: Soli DEO κατ'εξοχὴν debetur gratia, quia ille solus alio non eget, ex alio non pendet, pro se ab alio nil sperat, propterea verè est vivus fons gratiarum, à quo primo manat Gratia gratis grata, mox gratia gratum faciens, sive gratia operans & cooperans, præveniēns & sequens: Nam dum homo comparatur cum DEO, homini absolutè debitum convenit, DEO autem gratia. Vid. Picc. in universâ Philosoph. de moribus p. 700. Consule etiam Dnn. Theologos, qui hanc materiam suo loco sat piè & perspicuè dilucidant. Illorum verò, qui huic Gratitudini omnium maximam operam navarunt, imprimis sunt: David Psalm. CIII. Ps. CIV. Ps. CV. & alibi passim. Hiskias Jes. 38. 17. Simeon Luc. 2. 29. seqq. Paulus 1. Tim. I. 15. seqq. Moses Exod. 15. v. 1. seqq. aliique devoti S. DEI cultores. His adde Quirinum Romæ Tribunum plebis, cum enim videret filiam suam gravissimè ægrotantem, & vero illa ab Alexandro & Hermite confessoribus JESU CHRISTI sanata esset, mox conversus baptismum accepit & in vera fide tam fuit constans, ut sub Trajanò corpus ejus lingvâ exsectâ, manibus etiam & pedibus amputatis canibus sit objectum: similiter Bellicius cum gravi ægitudine ad fidem Christi conversus esset B. Ambrosius Epist. 9. l. 2. tale quid ad eum perscribit: Ad salutem ea fuit infirmitas, plus aculei quasi periculi ferens, juxtà illud Deut. 32. 39. percutiam & sanabo, percussit infirmitate, sanavit fide, infirmitas corporis tibi facta est sobrietas mentis. Conf. B. Dn. D. Reinhard. Bakium in expos. Evang. Tom. IV. p. 188.

§. III.

Secundam gratitudinem debemus Parentibus, qui tantopere beneficiis nos lactarunt, ut Judice Cicer, pro Sexto Amerin. ne vultu quidē eos liceat lædere: genuerunt enim nos & tum ad pietatem tum ad honestatem educarunt, quidni quoque poscerent gratitudinem? Etsi feras inquit Idem Cic. de Orator. II. 40. parti sui diligunt, quanto majore nos

nos in parentes indulgentia esse debemus? Hujus gratitudinis exemplo excellet Scipio Africanus, qui Parentem cum Hannibale pugnantem & graviter vulneratum suo intercessu servavit, item Æneas, qui in excidio Trojæ Patrem è medio incendio dicitur eripuisse, vide de illo Valer. Max. l. 5. c. 4. de hoc. Spengler. Exerc. Eth. & Itter. Synops. Sed hic Q. An Gratitude erga parentes eò sit extendenda, ut turpia præcipientibus iis sit obtemperandum? Resp. Neg. nam (1) obest Præceptum majus DEI, nolentis & severè punientis iniquitatem (2) id videtur impedire ille ipse amor, intercedens inter Parentes & filios, nam sicut ille est naturalis & per se summè honestus, sic in statu recto spectatus non potest præcipere nisi honesta (2) Q. An liberi vi gratitudinis obligentur, ut ad honores eveci pauperes parentes alant? Resp. omninò (1) enim id requirit jam laudatus reciprocos amor (2) Parentibus post Deum debemus vitam, ut suprâ ostendimus, quid ni etiã gratitudinè tempore egestatis. vid. Summè Reverend. Dn. D. VAL. ALBERTI Præceptorem meum honoratis. in parte 2. Jur. Nat. c. II. §. 6. p. 188.

§. IV.

Sequitur gratitudo erga Patriam: illa enim nos genuit, aluit ac tutata est, cur non totos eidem nos consecraremus? & quia non nobis solis nati sumus, ait Cicero pro Lælio, hinc post Deum Supremam partem sibi vendicat Patria. Erga quam & ipse fuit gratissimus, adeò ut etiam Augustus Cæsar Ciceronis alias inimicus de eo dicere solitus sit: λόγος ὁ αἰνῆς, λόγος καὶ φιλόπατρις, ut testatur Plutarchus in vitâ Cic. sic idem Cic. Orat. Catilin. l. 3. de fin. Philippi c. 14. refert de Rege Alphonso, quod in Symbolo pinxit pellicanum, fodientem rostro pectus, & elicientem sanguinem ad pullos pascendos, cui picturæ addidit epigramma hoc: *Pro Lege & Grege*, alia exempla cum nota sint, tacemus. Vid. Itter. Eth. p. 236. seqq.

§. V.

Succedit Gratitude erga fideles Præceptores, quæ etiam satis est debita. Informarunt enim nos & doctrinis suavissimis imbuerunt nos, nullatenus igitur iis gratitudo est deneganda. Claruit hujus laude imprimis Al. M. qui testib. Camerar. in horis succis. cent. l. c. 21. & Athencæo. l. 9. c. 20. non solum Arist. quem agnovit Præceptorem, regiè remuneravit, in solam animalium historiam 80. talentis conferens, sed & eidem suam benè vivendi rationem adscripsit, ut ex allegatis testibus patet. Par gratitudinis hujus exemplum videtur

contigisse in excidio urbis Magdeburgensis, ubi miles quidam Præceptorem olim suum salvum ac incolumem in бе duxit. Sed si aqua lance rem totam per pendamus, inquit Coelius Rhodigin. l. 7. c. 18. (qui hoc refert) paucissimos ejus notæ reperiatis. De quo etiam graviter conqueritur Sagittar. in exercit. Multi sunt, inquit, qui nescio quâ impudentia sæpè lacerant famam Præceptorum, quibus tamen si caruissent vel cum bobus vel asinis ipsis fuisset philosophandum. Et malè, inquit rectè Wendelin. l. 3. inst. dial, Sit illis, qui didactra mala Præceptoribus exsolvunt. Sed hic Quær. an fideliter docentium merita ullo gratitudinis affectu possint exhauriri? Negat. Dn. Iterus Eth. p. 244. inquiring. Tanta est animi humani, quem Præceptores (fideles) expoliunt, excellentia, tantæ sapientiæ sive divinæ sive humanæ præ ceteris bonis præ eminentia, *ut nulla PAR esse possit temporalium bonorum retributio.* Verum hic omnino adhuc dist. est inter parem retributionem exactè parem, & inter parem retributionem attingenter Parem, illa non est expectanda propter egregiam bonorum animi præ bonis corporis præ eminentiam, huic vero præstandæ nulla obest impossibilitas ut ipse etiam Doctissimus VIR se explicat.

§. VI.

Deniq; (5) Gratitudinem debemus Magistratib; & quibusvis fautorib;, cujuscunq; sint generis, ordinis atq; conditionis: omnes enim hi beneficiis nos maclarunt, ergò etiam omnes gratitudinem merentur. Florent hoc genere Ægyptii erga quosvis grati, ut testatur Herod. l. 2. cum Diodore sic. Claret hanc gratitudinis laude Silenus: cum enim à Midâ captus dimittererur, hoc eum loco gratitudinis docuit, non nasci hominem longè optimum, proximum vero quam primum ad mortem. vid. Plutarch. in consolat. ad Apollon. Cic. lib. 1. offic. Plat. in Axiocho, aliosq;ve. Inquis: Si omnibus promiscuè fautoribus gratitudo debetur, debetur etiam illis, qui vel sunt extremè reprobî vel non libenter beneficia conferunt Resp. quod sic, (1) benefactores non considerantur in sensu reduplicativo quatenus tales vel tales sunt, sed in sensu specificativo, quando benefactores sunt (2) id exigit essentia gratitudinis: quippe quæ semper erga quosvis vigilat, ut beneficia recompenset, sive deinceps benefactor sit vel bonus vel malus, vel talis vel talis.

**SECTIO QVARTA & ULTIMA.**

**Examinans Extrema Gratitudinis.**

§. i.

§. I.

**E**Xtrema Gratitude in excessu est adulatio, seu gratitudo nimia, ut rectius videtur vocari, in defectu Ingratitudo.

§. II.

Adulatio est vitium in gratitudine modum excedens. Quod extremum licet sit rarissimum, fieri tamen potest, ut quis excedat (α) in Verbis, dum Fautorem vel nimium coram & in facie laudat, vel ipsius facta inhonesta, nimia gratitudine extortus approbat, quo pertinent Dæmocles Dionysii & Lucius J. C. assentatores, de illo Cic. Tusc. quæst. l. i. 5. de hoc Sveton. in Vitell. c. 2, vide (β) factis dum plura dat quam habet, saltem hoc sine, ut aduletur sibi quæ faciat Patronum, vid. Itter. Synops. l. 3. c. 4. p. 150. seqq. item Diodor. Sicul. & Herodot. lib. 2. Plutarch. in Flamin. Sabellicus l. 7. c. 1. id. lib. 7. enead. 9. Plutarch. in quæstum Rom. Macrobi. lib. 1. Saturn. c. 10. B. Lactantius lib. 1. divin. instit. c. 20. B. Augustin. de Civit. DEI lib. 6. c. 7. aliosque.

§. III.

Jam ad ingratiſſimam ingratiſſitudinem. Hæc à multis multi variè describitur: Quidam: Ingratitudo est Vitium, quod accepta beneficia non agnoscit, non meminit, non deprædicat, non rependit, ut oportebat. Alii: Est vitium, quod gratias nec habet, nec agit, nec gratiam refert uti par est. Brevius: Ingratitudo est vitium morale, quo erga benefactores se quis ingratum exhibet. Id quod fit variis modis (1) beneficia non agnoscendo (2) non deprædicando (3) non recompensando &c. Exempla ingratiſſitudinis magis sunt nota quam accepta. Inter alias tamen Gentes imprimis notantur hæc vitio Athenienses, qui profectò parum gratitudinis exhibuerunt Viris de Rep. alias egregie meritis. Theseus submotus è patriâ in Seyro Insulâ vitâ functus est, Solon profugus vitam in Cypro exegit. Aristides patriâ excedere jussus in exilium abiit. Themistocles pulsus Athenis ad Persas confugere necessè habuit. Phocion non tantum equuleo ab Atheniensibus est impositus, & cicutam bibere jussus, sed etiam nullam Atticæ Regionis glebam, quæ ossibus ejus injicerentur, invenit, extrâ fines Regionis ejectus. vid. Ælian. lib. XII. Et hæc facta sunt Athenis, in quâ urbe contra ingratos actio erat instituta: sic igitur æquissima habuerunt Jura, sed iniquissima ingenia Conf. omnino Val. Max. l. V. c. III. collat. Plutarch. in Apoph. Græcorum & horum in vitis. Cæterum de talibus ingratis etiam quæritur Rex Arragoniæ Alphonſus, cum enim ex Siliciâ navigaret, videns aves marinas suam circumvolitare triremem, & si quid

quid prædæ objiceretur, id arripere & avolare, inquebat, harum avium par similes sunt aulici mei, qui simul ac beneficium aliquod à me dimittentes invicem acceperunt, continuo profugiunt, consule Panormitanum de rebus gestis Alphonfi & Sylvium de ejus dictis. Bellisarium, qui res in Italiâ & Africâ maximas contra Gotos & Vandalos gesserat, cum domum reversus esset, eò redegit Justinian Imp. ut & visu privatus circumiret, & mendicando victum quæreret, exclamans: date &c. Fulgos. lib. 5. c. III. Summa quoque fuit ingratitude leproforum, qui cum decem numero sanarentur, non nisi unus ad Christum acturus gratias revertitur Luc. 17. v. 14. seqq. conf. omnino Moralistas & imprimis B. Dn. Botfaccum, Itterum, Spenglerum, aliosque. Quam frequens vero hoc vitium, tam detestandum est, tam severè Deus illud semper punivit: nam qui reddit mala pro bonis, ab illius domo non recedet malum, judicat ipse Spiritus S. Prov. XVII. Ingrati spes tanquam hyberna glacies tabescet, & peribit tanquam aqua supervacanea dicitur Sap. XVI. sed coronidis loco hic Q. An propter ingratos beneficia sint claudenda? Videtur sic statuere Catullus, exclamans:

Desine de quoquam quidquam benè velle mereri

Atque aliquem fieri posse putare pium.

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignum est,

Immo etiã tædet, tædet obestque magis.

Et profectò multi summi Viri ex nimis præcipitata Irâ ingratitudinis olim sic docuerunt. Verum enim vero negandum id est: (1) est imitandus DEUS, qui solem suum finit oriri super bonos & malos (2) quoties nos ipsi ingrati sumus in Benignissimum Creatorem, nec tamen cessat à beneficiis, sed continuat & perficit ea. Id quod prudenter expendit Alphonfus Rex Arragon. Cum enim ab ingratis aulicis bilis ipsi commoveretur, dixit: Bone Deus, quare me res ista tantopere urit, quod ingratos experiar meos, quoties ipse in Deum Meum ingratus fui, qui tamen ob hoc ipsum non desinit, recentibus subinde beneficiis me afficere.

Nemo igitur ( addit rectè Cominæus, qui istam historiam refert ) pœnitentia se se affligere debet, quod gratitudo beneficiis semper insequatur. vid. illum l. 3. c. 3. edit. Barthii. p. m. 103.

ET TANTUM hæc vice DE GRATITUDINE.

DEO autem

*pro benignâ assistentia*

GRATITUDO SIT IN ÆTERNUM!

Amen!







Lipzig, Diss., 1675 (1)

ULB Halle  
004 581 636


3




TA → OL

f nur 1 + 9 Stück verbunden

VDM





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1679, 23

25

D. 7  
MORALEM,

UDINE

h. Lips. Collegii  
Academiâ  
o M DC LXXIX.

C.  
lam suscepit  
NHARDUS 3 ierib/  
Marchicus,  
re  
eer/Fürstenwaldensi,

Æ  
s GEORGI.

1679

